



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

VI. Iesuitæ nec Sacros Codices legunt, nec consulunt consilia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

virtutes morales exercendas esse; vitia fugienda, iuste, castè, piè, fortiter, heroicè agendum; mala patienter & equanimiter toleranda; hæc moralis Aristotelica commendat, hæc eadem præscribit Thomistica & Christiana; si quis hoc neget, consulat D. Thom. in 1. 2. & Philosophum in moralibus: at nemo dicat, naturæ corruptæ vires ad hæc sufficere; nec ipsi, opinor, adversarii inficiabuntur; igitur leges morales nostræ, divinæ gratiæ subsidium postulant; quod ad eodè Catholicum est, ut nemo Catholicus contrarium asserat: dicimus tamen, nunquam divinam illam gratiam deesse, eo scilicet tempore, quo præceptum obligat, qua homo illud implere possit, si velit, gratiam, inquam, saltem ad orandum necessariam; alioquin si deesset, præceptum impossibile jure censeretur; sed hoc est heterodoxum, non est igitur doctrina illa scandalosa, corrupta, Ecclesiæ perniciosa, nec cum immoderata vivendi licentia conjuncta; ubi enim recta ratio est, immoderata libido non est; accedit, quòd illa eadem doctrina est, quæ in cathedris catholicis docetur; in libris traditur, in pulpitis persuadetur, à Doctoribus omnis generis, Episcopis, Abbatibus, Regularibus, Ecclesiasticis, Laicis, Romanis etiam Pontificibus explicatur; usus communis est, quem reverà Ecclesiæ per tot lustra & sæcula in suis præcipuis membris nunquam tolerasset, si corruptus, si scandalosus, si perniciosus fuisset.

CAPUT VI.

*Iesuitæ nec sacros codices legunt, nec
consulunt Concilia.*

Iesuitæ, (inquit Adversarius,) sacros libros non volunt, Concilia non consulunt, & incredibili factorum Canonum ignorantia laborant; unde tamen præcipua moralium decisionum fundamenta eruntur; ac proinde divino quodam consilio accidisse putandum est, ut homines divino zelo flagrantes, & omnigena rerum sacrarum scientia instructissimi sese iis opponerent, eaque arcerent discrimina, quæ ex tanta ignorantia ac libidine ortum duxissent; futurum alioquin, ut traditiones Ecclesiasticæ penitus conciderent, Lex Evangelica in Judaicam, divina fides in commenta merè humana abiret, & venerabilis antiquitas despiciatui haberetur.

REFUTATIO.

Pace istorum hominum dixerim, sacra Biblia, eam, quæ par est, animi demissione volumus; & ubi nobis aliqua proponitur quæstio in sacris literis perspicuè & indubitanter expressa & definita, eam statim, adducto Scripturæ textu, solvimus; in re simonia, usura, elemosinæ, mendacii, odii, furti, aliisque similibus clarissima exempla suppetunt; absit tamen, ut Calvinistarum errore duamur, qui reliquos omnes libros proscribunt; perinde atque si in sacris literis omnium controversiarum indubitata decisionem haberemus; quis nescit, ibi esse nonnulla rerum gestarum exempla, quæ sine peccato imitari non possumus, quædam enim singularia Deus aut vetuit, aut iussit, quæ se-

cluso singulari Dei præcepto, vel omittit licet, vel fieri poterant; præterea in sacris libris multa Deus iudici præceperat, quæ reverà Ecclesiæ intolerabilem afferrent, si ad reformandos Christianorum mores iisdem essent imponenda: luculentè hujus rei exemplum in iis habemus, qui Caroli Magni iussu, fassa illa capitularia Carolina compilarunt, nempe capitula sacri textus minùs prudenter adhaerent, præcepta quædam ceremonialia Judæis tradita, Christianis hominibus imponere voluerunt; verbi gratia, quod habent cap. 5. excerptum ex 21. Exodi. si boe cornu percussit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedent carnes ejus: item cap. 42. 43. 45. ex 22. Deuteronomio si nidum avis inveneris, non tenebis matrem ejus filii, non arabis in bove & asino, non indies ex vestimento, quod ex lana linoque contextum est, cum ædificaveris domum novam, facies murum recti per circuitum, ne effundatur sanguis in domum; hæc aliæque hujusmodi penè innumera in prefatis capitularibus leguntur, quæ tamen cum aliis libris valde utilis & maximi momenti copiam sunt.

Non est igitur dubium, quin ex sacris Scripturis perperam acceptis, vel intellectis, multi errandis dissolutionem accipiant; immò hæretici ferè omnes Scripturæ testimoniis suos errores probare conantur, quos maxime nostris Novatoribus familiare est: necesse potest, quàm multa puerilia & absurda nonnulli hominibus, sacra à Scripturâ omnino abulis, in mentem venerint; ut illud de igne solemni & publico de conversione ad Orientem, de vatio corporis & gestu, aliæque hujusmodi; hæc antiqua fœderis & communis hostis generis humani, qui hoc eodem sacra Scripturæ obtentu, populum Judaicè circummactæ obstinatum affligit, eosque suis legibus rejicit, quæ lege Evangelica longè duriores essent: immò nonnullas ex prædictis caeremoniis, ut sic loquar, ad speciem Mahometicæ imitationis attexit, ut vel inde aliquid sanctitatis conciliaret, & effrenata licentia legis naturalis violandæ ab eo concessæ compensari videatur: vanis hujusmodi rebus, vel usibus illos homines sepè illudit, quos & in erroribus irretitos, & occultis scelibus committentos jam plenè possidet; quid in Anabaptistis, Anglicis, quæ tremulis, ut vocant, præstiterit, quòve illis adduxerit, nemo non videt; ad cuiusdam sceleris simulationis vanam speciem; Primi Calvinistæ nihil aliud quàm reformationem crepabant; unde nonnulli duxerunt Reformatorem: secus omnino nostri morales Theologi, qui homines ad actiones germanas virtutis inducunt, & ab iis, quæ illicitæ sunt, ac minus honestæ, suis judiciis ac decisionibus omnino remonent; suis verò consiliis ab iis, quæ aliis quin licita essent, sed minùs perfecta, Quod pertinet ad Concilia, mera est calumnia, Theologi nostris moralibus assidua, legunt ipsi & intelligunt Concilia, & legitima à spuris ab Ecclesiâ Romanâ rejectis probe discernunt; sacros canones familiars faciant, iisque sæpè utuntur ad moralia decisenda: sed ut antiqua verentur Concilia, nova, Tridentinum præferunt, amplectuntur, eundem in rebus fidei & doctrinæ morum certò definita, æquè antiquis ac novis indiscriminatim adherent; pro disciplina verò & ritibus, posterioribus receptis omnino standum; hæc enim Ecclesiâ identidem mutat; perperam igitur aliqui vellent, ut Christiani hujus reiporis aliquot antiquiorum Conciliorum decreta ad disciplinam pertinentibus, quæ nunquam ubique

nostra, vel observata fuere, subicerentur: quod
 ubique recepta non fuerint, praesertim in Oc-
 cidentibus, facile mihi demonstratu esset, illudque ex
 Niceno probare possem, in quo Christianis ve-
 nitur, ne cum infidelibus matrimonium contra-
 hant, licet tempore S. Hieronymi, ut ipse testa-
 tur, in quibusdam Provinciis in quibusdam Provinciis
 contraherentur: non est igitur, quod Adversarii
 debent decreta, quamvis exoleta, ad disciplinam
 ab antiquis Conciliis condita, fidelibus
 servanda esse dicant; alioquin nec genu flexio die-
 bus dominicis in Ecclesia orationes fundere liceret,
 nec ieiunare, aut iussocatis velci, nec Sabbato je-
 iunare, nec secundis nuptiis Presbytero interesse, nec
 presbiter in Ecclesia exponere, nec sedere Diacono
 cum Presbytero, nec azyum Judaeorum comedere,
 nec Martirum natalitia in Quadragesima celebra-
 re, nec ieiunare in Christianorum nuptiis, nec Laicis
 Chorum ingredi, nec Crucis figuram in pavimento
 depingere, nec agnum ut Christi figuram exprime-
 re, nec de Passione Domini ante mediam noctem
 cibum sumere; bonus sum, qui haec prosequor. In
 his, quae ad disciplinam pertinent, usus praesentis
 Ecclesiae nos abunde docet, quibus standum sit: haec
 Canonici Theologi, antiquos Canones minime
 agnunt, omnes singularem venerationem prosequun-
 tur: certamen, multos vel ad posteriores Concilia
 Pontificibus, vel ipsa consuetu-
 dine habuimus supremo factorum moderatore, ab-
 rogatos fuisse consilium denique decretales, rescrip-
 tis, decreta, Constitutiones Romanorum Pontificum,
 praecipuum ab ipso procul omni, Juris Canonici par-
 tem, de cetero sine ulla postulat, morales controver-
 sas de cetero ac de iure definitur, Haereticis omnino dissi-
 miles, qui Pontificias leges, & sanctae Sedis decreta
 vultu suo plerumque odio prosequuntur. Hinc Hie-
 ronymus & Praga & Lutherus, insignis uterque Ha-
 eretarcha, collectos Juris Pontificii libros, sacrilegis
 flammis pulvis devoverunt.

CAPUT VII.

De lectione sanctorum Patrum.

Quia, inquit, omnia sanctorum Patrum lectio-
 nes, quosdam Recentiores, qui vix ab octoginta
 annis scripserunt, semper in manibus habent, eo-
 rumque doctrinam utuntur, ad illorum directio-
 nem, qui se illorum fidei & curae commiserunt; si
 quidem consulatur, inde expromunt responsa mo-
 ra, quamquam vel ex barbaris nominibus satis
 patet, quo loco illorum doctrina habenda sit.

REFELLITUR.

Ad istum initium confutationis dicam; ut di-
 versarum nationum homines diverso genio, &
 lingua, ita diversis affectibus & gustibus gau-
 dent: Hispani, Itali, Angli, linguae suae lepores &
 elegantiam, nos Galli, diversa pronunciationi, &
 expressione assuefacti & innutriti, aliquas
 nostras nomina non probamus, sed ridemus,
 & si quaedam illorum nomina barbara &
 inusitata nobis videntur, v.g. Villaleb. Covar.
 Coninck, Tanner, Busenbaum, &c. ita

nostra risum movent: ut le Teneur, du Saulle,
 Duplex, quae quia nostrae linguae consonant, dissena
 & ridicula nobis non videntur: sed his levioribus
 omisissis, ad aliud caput, quod majoris momenti est,
 orationem convertor. Theologi morales, inquit, san-
 ctos Patres non legunt; breviter respondes, meram
 calumniam esse, si de his loquamur, qui moralem
 Theologiam non summatim, quasi congerendo, sed
 ex professo, pro dignitate tractant; innumeros,
 tum ex nostris, tum ex aliis appellare possem; sed ne
 aliqua ostentatio esse videatur, quam maxime fu-
 giendam esse duxi, & cum inutile sit; quis enim
 prober, Solem lucere de meridie? haud invitus huic
 labori parco: & verò, si quis eo sine morales Scri-
 ptos legat, ut Theologiam moralem ex doctrina
 Patrum compositam habeat, facile consequi poterit;
 idque, in omni ferè argumento morali, v.g. de iure
 naturali, in praecipuis Decalogi; de re sacra, in Sa-
 cramentis, aliisque huiusmodi tractatibus, qui ad re-
 gimen exterius Ecclesiae non pertinent: unus Gra-
 tianus omnium loco sit, qui ex sanctis Patribus
 Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Hieronymo,
 adductis eorum locis, ferè innumeras morales con-
 troversias decidit; ut vel inde constet, à Theologis
 moralibus sanctos Patres ablegatos non fuisse, cum
 ii Gratiani decreto passim utantur, quod ex locis
 Patrum totum ferè compactum est.

Causa 13. & 26. habet multa de fortilegiis,
 can. 22. & 24. de votis, juramentis, blasphemis,
 dist. 1. de consecrat. de Dominica. Caus. 23. de homi-
 cidio & bello, d. 6. de impuritate. Caus. 14. de furto,
 d. 23. de mendacio; cuncta haec ferè ex Patribus;
 sed quid in his haereo? Gratianus totus est in con-
 troversis moralibus definiendis, idque ex Conciliis,
 Pontificum rescriptis, Patrum locis: Quis porro
 moralis Theologus Gratianum non legit? Casuista
 igitur SS. Patres legunt, saltem apud Gratianum,
 apud quem haud dubie sinceriores sunt, quam apud
 Calvinum, aliosque ejusdem fursus homines, qui
 Augustini, aliorumque Patrum locis temere utantur,
 ad errores suos confirmandos: neque his Casuista
 contenti, alios etiam Doctores consulunt, doctrina
 & pietate conspicuos; apud Sylvestrum longam au-
 ctorum seriem, ex quibus ea, quae habet in summa,
 excerpterat, invenies, & supra 160 numerabis:
 Azor supra 200 citat: Barbosa longum illorum cen-
 sum descripsit: Sanchez idem fecisset, si voluisset,
 cum praesertim testetur, nullum à se auctore citatum
 fuisse, quem ipse non legisset, ac serio examinasset.
 Idem dico de Basilio Poncio, qui omnes ferè aucto-
 res exhaustisse videtur, Patres scilicet, Concilia,
 Theologos, Juris utriusque peritos, morales: porro
 inter auctores illos, quos Casuista citant, sunt ali-
 quot summi Pontifices, doctrinā & virtute insignes,
 ut Innocentius, Adrianus; multi Cardinales, ut
 Cajetanus, Mantica, Toletus, Lugo; complures
 Episcopi, ut Antoninus, Zerola, Barbosa; suprema-
 rum curiarum Praesides, ut Selva, Thesaurus, Anro-
 nius Faber; libellorum supplicum Magistri, ut Ti-
 raquellus; sapientissimi Senatores, ut Boerius; Do-
 ctiores omnis generis, tum seculares, tum regulares;
 accedit, quod non pauci ex illis singulare doctrinam
 cum eximia vitae sanctitate conjunxerunt: hi sunt,
 quos evolvunt & consulunt Casuista, non sine ma-
 xima prudentiae laude, quid enim responsi ab his ex-
 pectes, nisi quod sanctum, solidum & christia-
 num sit.

Quod autem Adversarius vehementer inculcat,
 decisiones morales ex Patribus, non verò ex Casuistis
 petendas